Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Loci rhetorici - Cod. Ettenheim-Münster 365

[S.l.], [18. Jahrh.]

Lat. Elogia

urn:nbn:de:bsz:31-132910

Visual Library

68

Elogium

S. Bonaventuræ, Doctoris Seraphici.

Hic â bonis venturis nomen sortitus,
Aeternitatem penè possedit intra tempus:
Destinatus â Matre Ordini S. Francisci, antequā natus,
Si nomen mutes, penè alter Franciscus fuit.
Fundator Ordinis futurus, nisi Franciscus præcessisset.,
Et pene fundavit, dum ruinas restituit:
Aequalis S. Thomæ annis, et meritis.
Vterque Doctor, ille Angelicus, hic Seraphicus;
Hic tamen optimā partem elegisse visus,
Eò ivit affectu, quo alter intellectu.
Et quod Thomas credidit, Bonaventura gustavit.
Vt scias Seraphice doctū,
Vno breviloquio complexus naturā et Deū,
Ex primo principio omnia,
Ex omnibus primū principium,
Ex Deo demonstrat Deum.
Nemo de Deo brevius, nemo clarius scripsit,
Creditus est Seraphim commodasse alas scribenti!
Et puto, dum Seraphini alas descripsit, illas habuit.
Interrogatus aliquando â S. Thoma, cui libro studeret,
Ostendit pendentē ex cruce hominē Deum,
Illustris liber scriptus intus, et foris!
Meditabatur hunc librū Bonaventura,
Nec aliunde nisi â Deo haurire potuit,
quæ de Deo scripsit.
Idem scribentem vitā S. Francisci interpellare non ausus,
Sinamus, inquit, Sanctū de Sancto scribere.,
Novū historiæ genus, dum Sanctus scribit, et scribitur:
Neuter fallere aut falli potest, uterque Sanctus.

Vis scire aliunde, qualis Bonaventura fuerit.,
In eo Adamꝰ non peccaverat, vixit ipse in Adamo.,
Rediisse videbatur ad statū Innocentiæ,
Qui veteris Adami nihil haberet.,
Affero aliquid illustriꝰ, Angelicū et divinum,
Dicitur Angelꝰ Eucharistiam ori hominis admovisse.
Dicitur ipse Christꝰ per latꝰ cor hominis subiisse.
O novū communionis genus!
Bonaventura gemino aditu Christū excipit, latere et ore.
Gemino palato gustat delicias Dei.
Mirantur Angeli novas artes amandi.,
Miratur Christꝰ, et miraculū facit.
Omissi laudare purpurā, ut parcam rubori
Erubuit vir modestꝰ, dū illā gereret,
Nunc quoq erubesceret ad laudes.

ELOGIUM
S. Thomæ, Doctoris Angelici.

Thomas Angelus erat, antequā esset Doctor Angelicus,
Angelorū Discipulꝰ, et penè æmulꝰ fuit.,
Multa ab Angelis didicit, quæda Angelos docere potuit:
Aut Theologiam ad terras deduxit è cælo,
Aut scivit in via, quod videtur in Patria:
Audivit Apostolꝰ arcana verba, sed illa tacuit.,
Quæ Paulo dicere non licuit, hæc Thomas dixit.
Mysteriorū compendiū est summa Thomæ.,
Collegit in ea, quidquid doceri potest aut sciri:
Inclusit Ambrosios, Hieronymos, Augustinos, Gregorios:
Inclusit seipsum, maior seipso, et se minor.
Epitomen fecit alienæ sapientiæ, et summā suā:
Didicit omnes, qui Thomā intelligit,
Nec totū Thomā intelligit, qui omnes didicit.,
Ubi alii dubitant, Thomas non ambigit.,
Ubi omnes desinunt, inde incipit:

inde

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg
MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST

Inde progressus eò ascendit, quo nemo praeiverat,
Sequitur praeviam Fidem, et illa ducit.,
Discipula facit Theologiam, et Magistram:
Ostendit, quod illa credit:
Neque aliud superest, nisi lumen gloriae post Summa Thomae.
De deo sic loquitur, quasi vidisset,
De tribus Personis, quasi singulas nosset.,
De Angelis sic disputat, quasi Spiritus esset:
Ingenerat horrorem peccati, dum describit.,
Amabiles reddit virtutes, dum ostendit.,
Incarnatum Verbum sic explicat quasi vox Verbi.
Siste aliquando Thoma, pervenit ad summum Summa tua:
Ire ulterius non potes, nisi aliquid quaeras post omnia.
Bene scripsisti de me Thoma.
Probat scripturam hominis qui character est Patris.,
Sileat lingua, ubi Deus laudator est,
Fallere non potest, qui laudatur, dum qui laudat, non fallitur.
Appellent alij Thomam Angelum Theologiae,
Dicant Pontifices Summam tot miraculis constare, quot titulis.,
Plus dicit una vox, Bene.,
Christus est Verbum Patris, Thomas adverbium Filij,
Quam ergò mercedem accipies?
Quam bene scripserit, collige ex testimonio,
Quam bene vixerit, disce ex praemio,
Ut scias meritum virtutis, datur optio praemij.
Quid eligat nisi Deum, qui novit pretium Dei?
Nec potuit eligere maius, nec debuit minus.,
Male scripserat, si aliter elegisset.

Aliud Eiusdem Thomae.

Invehere triumphali curru
Haeresum domitor
Nec alio, quam Cherubico, Doctor et triumphator,
Angelice Thoma.

Currū, sive in 4 tomis sententiarū,
sive in quadrifida Summa quadrijugo.
Nec desunt quatuor animaliū facies.
Adest in Thoma facies hominis,
Ut scias Angelū esse, non de cœlis lapsū,
Sed in terris natum.
Videbis etiam in Thoma tomis faciem hominis,
Quia raro foedere cū claritate angelica
Jungit humanissimā suavitatem,
Ex utroq Cherub.
An etiam in Thoma facies bovis?
Audijt sanè contubernaliū scommate bos mutus,
Et sæpe inversus inventus est iuvencus indomitus,
aut vitulus lasciviens.
At Thomas bos Cherubicus, ab ipsa adolescentia
Jugū portare didicit, Deo sacer,
Et oblatus in sacrificiū.
Faciem Leonis Thomas induit contra leænā non minus,
Quam lenæ faciem,
Ipso lenocinio truculentam.
Cum fugato procaci scorto, Vulcanio igne Cyprios ignes vicit.
Venere aversata vetus connubium.
Tiresias sit oportet, quisquis in Thoma non videt Aquilā.
Quam veloces et felices pennæ huius Aquilæ!
Quis supra seipsam ecstaticè evolat,
A sensuū ministerijs ad Divinitatis mysteria!
Nec Aquila adeo aciem in Solem,
Quam in Eucharisticū Solem tota ingenij acie, et penna defigitur
Thomas Angelicus.
Deus absconditus
Huius Aquilæ angelica penna et oculo,
toti orbi factus est spectabilior.
Non iam Aquilam tantum, sed Argū, quia plenū oculis;
Quicquid in natura latet, Thomæ patet.
Paulina

Paulinæ doctrinæ profundum
Nemo inspexit penitius, retexit clarius:
Ipso Paulo Apostolo et teste, et Doctore,
O Dignum tanto Doctore Discipulum!
O Dignum tali Discipulo Doctorem!
Arcanum beatæ visionis, quod oculus non vidit, exposuit,
Quasi gustasset et vidisset.
Ut re ipsa gustaret et videret,
In increato lumine æternum defixa Aquila,
Clausit terris lumina in Monasterio Fossæ novæ.

Aliud ejusdem S. Thomæ.

Ferrea sæcula auro imputantur irritamento malorum.
Occidit Dies aurea ad ortum Solis aurei et Solaris auri.
Ætas aurea pellitur auro,
At veritas Theologica vivit auream ætatem,
Ab aureo Doctore et oraculo Thoma Aquinate.
Jam prima ætatis aurora, velut aurea hora,
Providit in Casino monte latentes sub Thoma auri venas.
O quam verè virtus tentamini debetur, ut aurum examini!
En, conatur Venus improba miscere auro æs Cyprium,
Et per infame scortum faces admovet,
Ad eliquandam et decoquendam innocentiam,
Sed novo prodigio ignes ignibus restincti.
Ardore titionis pulsus ardor Veneris;
Debuit aurum virgineum igne probari, ut fieret aureum Oraculum.
Cherubinos ad Oraculum ne desidera,
Adsunt boni Angeli,
Qui Thomæ Angelicè cincto auferunt omnem scoriam impuritatis,
Et angelicæ militiæ Ducem inaugurant.
Sedem deinceps in aureo Oraculo Divina elegit Sapientia,
Virginitas aureum; Oraculum consecrat Sapientia,
Utrumque sine labe, sive de Deo, sive ex Deo loquentem audis,
Thomas Oraculum est.
Probavit Oraculi veritatem, auri probitatem æterna Veritas,

Cum approbavit suo Bene,
Bene scripsisti de me, Thoma.
Oraculũ in Ecclesia Militante,
Nunc etiam propitiatoriũ in triumphante,
Illic docet, et perorat,
Hic exorat.

Aliud ejusdē S. Thomæ.
Olorē in te suspicio Thoma Angelice,
Aequè candidū, ac Canorum.
Acceptū à piacularibus undis candorē,
Nulla posthac gravior noxa infecit.
Ne inter turbidas voluptatū aquas maculā contraheres,
A mundo abstractū candidus D. Dominici Ordo in sua piscina clausit,
Ibidem in sacro Votorū cantu feliciter mundo Mortuū.
Audet tamen Venus improba sub sua fraena vocare Olorem,
Jam Divino amori sacrū et subiugalem.
Immittitur lupa impudens,
Quæ blanditiarū servitio omnē praedetur innocentiā.
At vicit per ipsam fumantis titionis nigredinē, illæsus Candor.
Talis Cerussa debebatur larvæ stygiæ,
Nec alius color decebat frontem,
Aequè candoris ac ruboris expertem.
Paeana nunc cane Olor laureate,
Et ad Divinæ Sapientiæ salutares aquas propera.
Et verò, his fluentis Thomas iam totus innatat.
Post emensam omnem scientiarū cyclopaediam,
Immersū crederes in immenso Scripturarū pelago,
Nisi altior inde emergeret.
Candore et canore mirabilis; isto cum scriberet, isto cū diceret,
Omniū oculos et aures rapuit.
De Candore pennæ quis dubitet?
Cygnæa est, securo puritatis, et vitæ simillima,
Nam et calamus, animi penicillus est.
Hujus Candorem candido calculo signavit ipsa æterna Sapientia,
Cum dixit:

Bene

Bene scripsisti de me, Thoma.
Quem graeculi bovem mutum dictitarent,
Cantantem sublime ferunt ad sidera cygni,
Inq; Angelica summa angelicū carmen agnoscunt,
Harmonicâ concinnitate ubiq; Veritati consonū,
Absq; recantationis periculo:
Nec enim Veritas sibi dissonat.
Cantat in Academicis Lycaeis Thomas,
Et decantant Thomae doctrinam tot olores,
Quot Doctores Thomistici.
Sed et cantat in D. Odeis,
Quando Eucharistici Numinis laudes ore et stylo Thomae Angelici tota cantat Ecclesia.
Et unus in omnium fidelium ore Thomas,
Fideles uniq; Thomae ore Eucharisticū carmen pangunt.
Postremū Oloris nostri carmen fuit Canticū Canticorū.
Cuiq; commentationi beatè immortuus,
More et morte ~~fuit~~ cygni fuit
Post Cantica funus.
Mox felici apotheosi per lacteā Innocentiae viā Candidū sidus,
Caelestibus astris additus.

Aliud ejusdem S. Thomae
Elogiū.
Noli de laeto augurio dubitare Schola Thomistica.
Bonis avibus, qui Duce Aquilâ Angelico Doctore Thomâ,
Pugnas pro veritate.
Et tu Lodronio = Academice Leo,
Felici omine iungeris cum Aquila Theologorum,
Dum secundis auspicijs Contra Ottomannicā belluā conspirant Leones et Aquila.
Foederata Orbis Capita contra Turcam.
Jam â teneris unguiculis in Thoma Aquilam agnovisses,
Etiam tunc pruriebat in praedam,
Sed literariam et Angelicam.
Quando Salutationē angelicam glutijt, velut iure debitam,
Futurus librorū Helluo, et Angelicus Doctor.

In montem Cassinũ evolans posuit in arduis nidũ suũ,
Ut melius è sublimi terram despiceret.
Sed ecce! Draco ad pugnã provocat!
Procax foemina quot itq oculorũ,
Tot iactus spiculorũ intentat,
Brachia velut spiras stringit, ut captã Maqueet innocentiã.
At at nova Jovis armigera Angelica aquila,
Ardenti titione armatur, ceu fulmine,
Et rectâ petit caput hydræ.,
Certa victoriæ, si caput obtriverit.
Mox impudens prostibulũ, ne post famã formã perderet, tergũ dedit,
Et rectè., quia frontem non habuit.
Expeditũ venenosis vinculis Thomam
Sanctiori stringunt vinculo et cingulo cælestes Alites,
Et Aquilam verè angelicam consecrant.
Quantò deinceps purior et ittinior.,
Tantò sublimior, et visu et volatu Thomas Aquila,
Per cuncta scientiarũ ardua nullã viam reliquit inviam.
Sacra et prophana scriptorũ volumina non tam pervolvit, quàm pervolavit,
Pernicitate secundus nemini:
Insuper in suam sequelã traxit innumeros pullorũ greges.
Sola fugiunt Aquilam Lucifugæ hæreticorũ noctuæ,
Argumentis Thomisticis, tanquam igneis tormentis fulminatæ.
Angelicus Thomas manet in æternũ solem defixus,
Oculo tam intelligente, quàm amante:
Illo in se attrahens, isto à se abstractus in Abyssum Lucis.
Ad cuius radios defluentibus pennis
Renovatus ut Aquila
Divini Solis inconnivo aspectu
Aeternũ fruitur.

Aliud ejusdẽ

Aliud eiusdē S. Thomæ Aquin.

Elogium.

Aquas Aquinates gusta, quisquis Sapientiam sitis;
Thomas Angelicus non tantum lumen, sed et flumen est perenne Sapientiæ.
Fluxit â primo fonte clarissimus,
Primum sanguine, mox virtute.
Ne adolescentiæ puritatem limosa contubernia vitiarent,
Turbidis rivis occlusit ostia.
Duo Germani, sub fratribus hostes ut fontem turbarent,
Immisêre sordidam Cypridis alumnā.
O inimicum puris fontibus pedem Veneris!
Turbat mentē, exturbat pudorem,
Et coenosa linquit vestigia impura Spumæ filia.
Sed ecce! ad tuendam fontis puritatem etiàm ignis armatur.
Demq; impuræ fronti nigrū stigma intentat,
Purū fontem periculo liberat.
Amavit deinceps Divina Sapientia Aquā Virginē, eiq; se tota infudit.
Vidisses in Thoma vivū fontem Sapientiæ,
Unde rigata universa Ecclesia crevit in immensos fructus.
Gemmiferū esse ne ambigas,
Quot gnomæ, tot gemmæ, quot sententiæ, tot margaritæ.
Et, quod mirêre, nec claritas obest profunditati,
Nec profunditas claritati.
Hausit sua profunditate,
Et exhausit omnes doctrinarū rivos Abyssus Thomas:
Iisq; suis undis puriores reddidit, quàm erant in fonte proprio.
Verùm abyssus abyssū invocat.
Abyssus sapientiæ abyssū humilitatis.
Hæc reiecit oblatas honorū Infulas,
Graviêsne magis Thoma, an leves? ambigo.
Quanto tamen profundior, tantò regurgitatus altior,
Fit deniq; Angelicus Thomas Fons aquæ salientis in vitā æternā.
Quippe cum crederetur in Monasterio Fossa Nova fossā mortuali sorbendus,
Velut novus Eridanus Beata apotheosi Cælis inseritur.

Elogium
Adm. Rdo, Eximio ac in Christo observand. P. P. Meinrado
Bosskeiser, Mro Proali oblatum.

Meinradus. Anagr: Indè Ramus.

Symbolu. Arboris Seraphicae Ramus. Fructu ubere dives.

Arbore Seraphicâ praestantior nulla est,
Nec fructu illo pretiosior.

Sensit Orbis, quàm latè suos expandat Ramos Arbor,
Dum ultimae etiam terrae partes ejusdē fructus pleno sinu excipiunt.

Noscere vis pretium?

Quò alijs Minor Arbor est, eò Maiores parturit fructus, Virtutis & Sapientiae.

Gaudet Ordo noster Minoru titulo, qui Ordo Maioru nuncupari posset,
Cum nil nisi Magnu, nisi pretiosu effundat.

Meritò quasi Cedrus exaltabitur,
Quae tā profundas Humiliationis radices egit.

An Corrumpetur?

Nequaquā: Nam, Seraphico S. Francisci Spiritu plantatam,
Paterna Dei manus benedixit,
Filius Redemptionis nostrae signis insignivit,
Spiritus Sanctus sacro gratiaru rore foecundavit.

Invenimus sanè Paradisu in terris,
Quia invenimus Arborem Vitae.

Hac mediante Humiles sublimantur, ditantur pauperes,
imperfecti perficiuntur.

Hic gustabis Virtutu fructus, et Doctrinae favu.

Arbor ista vel infra coelu est à Seraphinis irrigata,
aut Rami ejus ad coelu tendunt innumeris graves fructibus.

Sed parum dixi, quia de te, Meinrade, tacui.
Arborē praedicavi, unde prodijsti:
(: Nam Meinradus, indè Ramus :)

quanquā

Quanquā Arborē te appellare potius debuissem
~~Cujus~~ qui in Paradiso sex nuper annis vegetabaris,
adeo, ut ad ferendos fructus satis iam maturueris. NB Paradisus Noviciatū.
In eo Evæ quidem ~~fu~~erant, at nullus serpens:
Dedisti enim fructus bonos, non malos, quos serpens amat, degustandos.
Quid si et Adamum te nuncupare?
In illo Paradiso nimirum deliciari voluisti,
Confratres tuos tuas fecisti delicias.
Imo et de cujusque Hospitis delicium.
Nam visceres tristis sine iis, lætus cum iis: /ex ore loquor tuo./
Amasti adiutorium simile tibi.
Plura dicerem, at vereor, ne veritas tua offenderet modestia,
aut fraudulentus ille serpens,
cujus insidiis ~~d...~~ nec Adam tutus,
Vanam tui complacentiam inhibeat: Dii estis.
Sed
Et Adamum et Arborem prætereo:
Ramum te veneror feliciter et fructuose inde pullulantem,
Unde Seraphica aliquin germina derivant.
Suaviter pascis, qui tuos degustant sapientiæ fructus.
/: quid enim sapientia, nisi sapida scientia? :/
Fortiter attrahis, quos virtutum tuarum sapore trahis.
Amasti semper omnes, omnibus amabilis.
Unde nec mirum, si te elegit Provincia in Ministrum,
Quem iam Amor Ministrum fecerat.
Columba Divini Spiritus signum, et Ramus sedes est:
Inde devolavit ad te, veluti Ramum, Divina Columba:
Elegit te sedem, a quo eligi voluisti, et debuisti.
Sed hæc nota omnibus sunt.
Illud rarum est
Quod feceris ubique Prophetas tui,

Visus fueris tum ante, qualis futurus eras,
Antecesserit vox populi vocem Dei,
Elegerint te vota ante suffragia,
Agnoverint te oves ante Pastorem,
Et antequam alijs succederes, tu ante successor esse potueris.
Debebatur temporibus his nostris Ramus iste,
Sapidissimis fructibus gravidus,
Qui suas virtutis et scientiae fruges liberaliter dispensaret.

Votum.

Accipe, Meinrade, Elogium, qui totus Elogium es;
Omisimus plura, ne uno videaris elogio contentus.
Nemo bene dives alienis divitijs.
Videntur tuae virtutes, dum aspiceris;
Auditur tua sapientia, dum loqueris.
Ramus quondam erat protoplasto summe nocivus
Ramus proscriptionis, lethale pomum suppeditans;
Ramus quondam erat Noemo summe delectabilis,
Ramus salutis, Diluvij finem significans;
Tu Ramus esto salutis ferax
Divinarum legum tessera,
Et
Bonarum rerum suasor
Antiquum reprime diluvium, et arce novum.
Alligari uni Paradiso non debuisti, vi omnibus apte,
Nec fructus tuos paucis esse sapidos, decuit;
Sed omnibus.
Cresce, ut coepisti, novosque semper fructus dispensa,
Ut cum non sapiant omnes, omnibus tu saltem sapias,
alijs ad documentum,
alijs ad emolumentum
Singulis ad satietatem.

Votu Chronologicu.

CresCat DeIn arborIs seraphInæ RaMVs.

symbolu. Religione pius.

Epigramma.

Tu, Meinrade, colis Seraphinas Arboris Umbras,
à nobis colitur Ramus et Umbra simul

symb: Dat omnia Ramus.

Quæ dedit unquã Arbor Seraphina, Dat omnia Ramus:
Quod sibi quisq parat munus, id omne paris.
Innumeris crescis Virtutu fructibus uber,
Qui sapiunt aliis, tu sapis ipse tibi.

Cresce Dein, Meinrade, dix: tua munera Rame
Dispensa: suavis protegat Umbra tuos.

Impera silentiu

sumus ex animo Humillimi filii, imò

Adm Rdæ, Eximiæ Paternitatis vestræ

servi obsequentissimi.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg
MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST